

PRÆCEPTIONES  
AD  
VITAM INTER HOMINES  
EX DECORO  
EOQUE CHRISTIANO INSTITUENDAM  
AUCTORE  
JACOBO DE LA FOSSE  
E Congregatione Missionis Presbytero  
ITERUM PRODEUNT, CURANTE  
ET PRÆFANTE UNO EX EADEM CONGREGATIONE.

BIBLIOTHÈQUE S. J.  
*Les Fontaines*  
60 - CHANTILLY  
PARISIIS  
ADRIANUS LE CLERE ET SOC.  
S. D. Papæ et Archiepiscopatus Parisiensis typ.  
VIA VULGO DICTA CASSETTE, 29

M D C C C L X I I I



---

## PRÆFATIO EDITORIS

---

Exiguus iste libellus tibi, optime Lector, non parum ex eo commendari videbitur, quod ab uno e primis discipulis sancti Vincentii a Paulo elaboratus fuerit. Vir enim sub tanto magistro ad omnia liberalioris imo et sacerdotalis vitæ officia institutus, honesti decorique habitus potiori jure leges præscribit.

Mirum igitur non est has præceptiones in Seminariis, quibus præfuere, seculo proxime elapso, Sacerdotes Congregationis Missionis, usu receptas fuisse,

ut eorum adhuc extantibus regulis compertur (\*).

Evidem non diffiteor nos alio more ac majores nostri hodie vivere : nulla tamen tempore inventa est urbanitatis legum gravis immutatio ; vixque, re mature perpetua, unam et alteram Auctoris nostri præceptionem emendandam, paucas explicandas arbitratus sum. Illas stellula signatas loco suo reperies, notaque infra paginam subjecta usus hodie receptos indicabit.

Hanc igitur Epitomen rursum editurus, munus inire existimavi quibusque juvenibus, at præsertim Seminariorum et Collegiorum alumnis, omnino utile ; quippe quibus, nullo aut exiguo certe negotio, decori leges tam paucis coactæ præceptio-

---

(\*) Cf. inter alia : *Règlements du Séminaire de Toul.* Toul, Simon Vincent, 1738. Art. 33.

nibus, iisque brevissimis, planæ perspectæque erunt. Auctor enim, sermonis perspicuitate haud neglecta, brevitati tamen potissimum studuit, prout ipsa suscepti operis natura exigebat, juxta illud Horatii :

Quidquid præcipies, esto brevis, ut cito dicta  
Percipient animi dociles, teneantque fideles<sup>(\*)</sup>.

Cæterum censeo hoc Opusculum, utpote elegantiori sermone conscriptum, dignum esse cui attendant viri litterarum studiosi; simulque spero illud acceptum fore iis omnibus quos vetera novis conferre juvat.

His ego te paucis volebam, optime Lector. Vale, et meum hunc laborem æqui bonique consule.

---

(\*) *Ars poet.*, v, 334.

---

## VITA AUCTORIS

IN COMPENDIUM REDACTA

---

Jacobus Carborand de la Fosse, e nobili familia Tullensi oriundus, tertio kalendas novembris, anno 1621, Parisiis (\*) natus est. Elucebant in eo, dum adolesceret, generosa indoles, mores integri, promptumque et expeditum natura ingenium : at præsertim tenera in Deum pietas, qua nihil præstantius, tot egregias animi dotes ipsamque generis nobilitatem collustrabat ; jamque ingenuus adolescens vitam

---

(\*) Calmet, *Hist. de Lorraine*; et post eum, Moreri, *Dictionn. histor.*; Bouillot, *Biographie ardennaise*, false asserunt Jacobum de la Fosse natum esse Tulli-Leucorum.

agere austriorem ac Deo devotam secum ipse meditabatur. Itaque, spretis mundi illecebris, adiit beatum Vincentium a Paulo, et Congregationi Missionis recen-ter institutæ adjungi postulavit. Octavo idus octobris 1640, cum annum ageret de-cimum nonum, voti compos factus, no-men dedit Congregationi.

Emenso religiosæ probationis studio-rumque curriculo, sacerdotio initiatus est anno ineunte 1648, statimque juniores clericos in Seminario Sancti Caroli intra domum Missionis instituto liberales disciplinas edocendi provinciam suscepit. Hoc in munere, litterarum studio, quo summopere delectabatur, operam dedit, ac inter eos qui tunc temporis in huma-nitate præsertim latina erant versatissimi locum obtinuit spectabilem. At in primis *Tragœdie sacrae* (\*) quas, ipso auctore, ju-

---

(\*) Cf. Collet, *Vie de S. Vincent de Paul.* Nancy, 1748; tom. I, pag. 326.

niores alumni in domestico Seminarii theatro quotannis recitare solebant, et *Odæ panegyricæ in beatum Franciscum Salesium nupera apotheosi consecratum* (\*) ab eo in lucem editæ, unanimi plausu excipiebantur; dignumque Santolio tandem adstitisse æmulum, ne dicam magistrum, communi suffragio doctissimi quique censuerunt.

Interim Sacerdotibus Congregationis Missionis cives Sedanenses in hæresim lapsos ad Ecclesiam reducere conantibus, Protestantium Academia Sedani constituta acriter obsistebat: nihil quippe hæretici intentatum relinquebant, ut pios Sacerdotes a proposito dimoverent. Ii vero Jacobum de la Fosse refellendis Protestantibus haud imparem fore, utpote experti ingenii virum, cogitarunt, eumque statim Sedanum accivere: neque res spem fellit; nam statim ac ille adest, res in

---

(\*) Trecis, 1668, in-4<sup>o</sup>, p. 36.

melius vertuntur; obmutescit Protestantium Academia, et Catholici, longa oppresione dejecti, in spem eriguntur. Interea ut fidelibus animos adderet, pulcherrima edidit carmina (\*) *In cruces solemniter depactas Sedani pia Regis et Reginæ munificentia. Item, occasione accepta salutiferi signi, Parænesis lyrical ad Sedanenses heterodoxos.* At cum in ea Parænesi quatuor hæreseos duces nigriori colore eoque veriori depinxisset, concitato in se Protestantum furore, aliquandiu extra civitatem latuit, ne vitam in discrimen adduceret.

Sedata tempestate, Jacobus de la Fosse Sedanum reversus est, ibique, post multos contra hæresim insumptos labores, obiit pridie kalendas maii 1674.

Præter Opera supradicta, multa alia (\*\*) cum versibus tum soluta oratione conscri-

---

(\*) Paris, Blaizot, 1665, in-4°.

(\*\*) 3 vol. in-fol. Cf. Collet, *Vie de S. Vincent de Paul*, tome I, p. 277.

psit, quæ in Bibliotheca Congregationis Missionis delitescebant. At versus finem seculi proxime elapsi, coortis in Gallia civilibus bellis, direpta fuit a perturbatoribus domus Missionis, omnesque Auctoris nostri codices manuscripti, una cum aliis pluribus, damno irreparabili eoque magis lugendo, perierunt.

---

---

## LECTORI

---

Decorum, cuius præcipuas leges ac  
præceptiones tibi nunc offero, non solum  
inter pulcherrima humanæ societatis or-  
namenta locum obtinet ; sed e præstan-  
tissimis etiam virtutibus una est, quam  
sub ipsius modestiæ nomine viri theologi  
nobis exhibent, cui muneric id incumbit,  
ut exteriorem hominis habitum ad rectæ  
rationis apices nutumque componat.

Quapropter, si tantopere necessaria est  
iis, qui vitam vivere volunt inter homines  
non penitus illiberalem atque sordidam,  
sed aliqua honoris et existimationis luce  
perfusam ; quanto magis necessaria iis,  
qui et magnos in virtute profectus am-

biunt, et alios exemplo suo promovere discipiunt.

Præceptiones igitur, quæ hacce Epitome continentur, planam et minime lubricam utrisque aperient viam, quam si constanter sequantur, brevi comperient sese in tam amabili et renidenti virtute non parum profecisse. *Enimvero hæc documenta et ipsius rationis dictamine, et hominum auctoritate bene institutorum, quibus scita urbanitas et decorum est curæ, nituntur; adeoque fieri non potest, quin ab iis exerrans, violatæ statim honestatis agatur reus, et illiberalitatis ac rusticitatis macula et probro inuratur.*

Scio equidem nonnullos in hoc argumenti genere feliciter esse versatos. Verum, quia hunc sibi scopum maxime proposuere, ut teneram juventutem fingarent ad elegantiam morum, pleraque documenta huic imbecilliori ætati, magis quam maturiori, congrua tradiderunt.

Visum est itaque hancce Epitomen con-

cinnare, in qua cujuslibet sortis et conditionis homines, et suo statui et suo vitæ instituto consona et convenientia reperient, resque bene multas, de quibus altissimum apud alios silentium. Quod si subinde videmur ad minuta quæque descendere, id experientiæ, quæ testatissima est, non solum juniores, sed etiam grandiores cujusvis fortunæ et conditionis, sive inscitia, sive incuria, saepius in rationes decori peccare, debet acceptum referri; in quo tanto est conspectius delictum, quanto illud in quo delinquitur et facilius et protritus est.

Porro, si quis ex hisce præceptionibus fructus percipere cupit, in animum inducat suum, nequaquam satis esse has carpit et perfunctorie legere; illæ ob oculos habendæ sunt, ad eas totius corporis habitus, incessus, conversatio, omnisque homo exterior identidem referendus, usque dum hæc scita corporis moderatio et decorum inoleverit, et radices altas jecerit.

Verum, ut hæc meditatio sive exercitatio nostra ex spiritu genioque christianismi proficiscatur, proponendus animo Christus Servator noster, velut exemplar, in omni modestiæ, circumspectionis, humilitatis, mansuetudinis, aliarumque virtutum exercitio, quarum cinno et harmoge mirificus exurgebat nitor, et illud plenum illicii et aucupii decorum, quod sese in omni corporis motu, conversione, habituque sic explicabat, ut non solum homines sed et angelos in admirationem stuporemque traduceret.

---

# PRÆCEPTIONES.

AD

## VITAM INTER HOMINES

EX DECORO

EOQUE CHRISTIANO INSTITUENDAM

---

### CAPUT PRIMUM

DE HONESTA ET SCITA CORPORIS COMPO-  
SITIONE ET MODERATIONE.

1. Sive stas, sive sedes, sive in genua procidis, corpore sis recto ; capite quidem paulisper antrorsum inclinato, non tamen depresso et obstipo, vel horsum illorsum fracto et molli, neque levide causa inscite volubili ; sed, cum necessitas efflagitat, graviter et decore motabili.

2. Frontem non contrahes, non caperabis, multo minus nasum corrugabis aut crispabis ; tacitus ne hianti ore, aut labiis

compressis esto. Quod autem spectat ad habitum vultus, cave ne sit tetricus, truculentus, aut attonito similis. Non renideat festivius, non sit explicatior ; sed comem gravitatem, sobriam hilaritatem, suavem benignitatem placiditatemque respiret.

3. Oculos non habebis emissios, et quoquoversum gyrantes, sed ut plurimum nonnihil demissos et dejectos. Neminem fastidiose et elato nimis supercilio intuearis ; dum quempiam alloqueris, oculos in ejus vultum ne desfigas, præsertim si altioris meriti et fortunæ vel sexus diversi.

4. Cum manus ab omni officio feriantur, illas præ te in decenti et quieta statione compositas habe, nunquam ad tergum reductas aut ingestas peræ ; humorum succussiones, alternationes brachiorum et crurum jactationes summoperre devita.

5. Quoad poteris, neque barbam aut capillos remulcebis, vultum non attractabis,

nullamque corporis partem, quæ oculis non est pervia, coram aliis continges.

6. Ungues ne tibi sint prolixiores, aut sordibus oppleti; illos dentibus arrodere, vel palam circumcidere, et illiberale et putidum est.

7. Pactis in terra pedibus, idque ex æquo sedebis; tibiis neque decussatis, neque di-varicatis, neque etiam a sede plus justo remotis; cum desixo stas gradu, pes pedem non excedat, aut velut exorbitet.

8. Cum nares emungis, id fiat absque incondito clangore; semper sudario uteris, etiam cum nares pertentabis, adigente necessitate; ubi emunxeris, quod egestum fuerit, nunquam inspicies.

9. Quantum in te erit, caveas ne vasto et penetrabili sono tussias, aut sternutes, aut etiam spiritum ex alto cites; vel, cum resorbes animam, ore aut naribus strepitum, qui ab aliis percipi possit, edas.

10. Adverte sedulo, præsertim dum loqueris, vel alios loquentes audis, ut nulla

corporis incomposita agitatione te ipsum dehonestes. Caput in primis ne succutias; nec eo utaris ad sensa animi promenda, nutus tam **ad** tua, quam ad aliorum, verba adjungendo. A crebris manuum gesticulationibus et argutiunculis penitus abstineas. Ne identidem, absque necessitate, collare, zonam, chirothecas, sudarium aliudve contrectes; ne dextra vel sinistra caput indecore fulcias. Manus ad genua ne complices. Digitos distorquendo ne concrepes; nec ipsis aut pedibus tympanotribam agas. Demum attende ut, arrecto in pedes corpore, firmo hæreas gradu.

11. Observanda in vestitu gravis quædam concinnitas et munditia, ab omni affectatione procul et ostentationis significacione. Vitanda pariter nimia vestium circumspectio et supervacanea earum compositio.

---

---

## CAPUT II

### DE INCESSU.

1. Incessus neque incitator sit neque cunctatior; non sit ad artificium compositus, neque levitate illiberalis et desultorius, sed ex decora et comi gravitate dimensus.

2. Cum graderis, cave ne antrorum corpus inflectas, neve inconcinna jactatione conquasses. Non habebis manus pendulas. Inter eundum pedibus superplodere, solum corradere, invenustum est; multo magis plures gradus unico ascensu superare.

3. Ne unus tecum rideas aut colloquare: neque fructus aut flores inter ambulandum, neque etiam frondes e sepimentis hortorum pergulisve carptim decerpas.

4. Si cum spectatiore te ipso ambulas

nisi substiterit, ne subsistas ; ne ipsum incessu prævertas ; in pergulæ aut ambulaci meta et flexu prior ne te convertas, sed simul, tuncque non humeros sed ei vultum offeres.

5. Peccas in rationes decori, si cum amplioris cuiusdam status homine gradu ambulas æquato ; paulisper reducto et citeriori oportet ; spatium semipedis interlaceat, ita tamen ut commode obaudiri possis.

6. Cum æquali ex æquo ambula atque justim ; non tamen prior semper te ipsum obverte, aut in medio sæpe resiste, ni qua postulaverit necessitas.

7. Quando plures paris fortunæ et conditionis simul gradum conferunt, decori lex obtinet, ut qui obeundo pergulam aut cubiculum medii fuerunt, cum ad metam perventum est, in ipsa conversione dent se ad latus, iisque meditullium linquant, qui ab ipso longius distabant; quod deinde illi, cum emensi sunt ambulacrum,

præstare debent ; atque hoc revolutis vici-  
bus et alternatim (\*) factitandum.

8. Si duorum medius incedas, qui inter  
se quidem sint æquales, te vero inferio-  
res, nunc ad istum, nunc ad illum te ip-  
sum convertes ; quod si inæquales, fre-  
quentius ad honestiorem et ornatiorem.  
Qui stipant medium, ad eum semper et  
cum eo, non vero ante neque post, sese  
convertent.

9. Cum honoratior et superior, cui co-  
mes adjunctus es, aliquem privatim et  
secreto alloquitur, paulo te subducas  
oportet, ut ea quæ dicit, nisi te invitet ad  
accedendum, obaudire non possis. Si una  
cum eo vel aulam vel cubiculum intras, ne  
his quos alloquitur te adjungas, sed juxta  
januam restites. Quod si ut accedas in-  
nuit, non tamen ex æquo consistes, sed

---

(\*) Mutuam hanc ad latus conversionem  
identidem observare decet; id vero alternis  
semper vicibus præstare, nimis esset impor-  
tunum.

paulisper ad latus infraque te subduces. Si autem necessum fuerit te loqui, id cum debita honoris et reverentiæ significatione præstabis, caput subinde detegendo interrogatus, loquendo parce et considerate, ac nunquam ei contentiose obstrependo, cui datus es in comitem.

**10.** Decorum petit, ut quis ingrediens cum spectatoribus locum semper digniorum ipsis deferat : dextrum nempe, si duo simul ambulant ; si vero tres aut plures, medium. At dum per vicos aut secundum muros inceditur, locus honoratior, apud nostrates Gallos, vulgo censemur qui magis est propter murum, vel in superiori parte pavimenti ; in cubiculis autem et aulis, qui magis est ab januis.

**11.** Si una cum multo potentiore inambulas et ipsi collibuerit sedere, stabis juxta, dum invitet ad considendum, tuncque geres morem cum significatione conioris observantiæ, capite nimirum discooperto, infraque ipsum sedebis.

---

## CAPUT III

### DE QUIBUSDAM ACTIONIBUS ET OFFICIIS INTER HOMINES.

1. Cum spectatiores et honoratiores adibis, nonnullo corporis flexu et demissione veneraberis, itidem in digressu : hæc autem corporis incurvatio tanto major esse debet, quanto quos colis digniores.

2. Si te convisunt sublimioris gradus homines, statim, de eorum adventu monitus, ibis obviam, honoris causa ; tunc ad locum deduces, in quo id hominum genus urbana allocutionis societate excipitur ; deinde ad considendum offeres sedilia. Enimvero decoro aperte et indubie repugnat, vel eos stantes relinquere, vel cum ipsis ambulare, nisi liquido constet illos ita velle. Postulant autem officia urbanitatis, ut, cum digrediuntur, eos extra domus januam deducas, et, antequam

intro te referas, oculo prosequaris abentes. Quod si rheda, vel gestatitia esseda, vel equo venerint, opperendum est tibi, donec ascenderint, ut honorifico corporis salutes flexu, et, cum abierint, domum te recipias.

3. Coram illustriore, quem tu honoris causa inviseris, nec in currum nec in equum ascendas; sed pedes potius aliquantulum procede.

4. Majori te et digniori allocutionis causa accedenti, imo et æquali, nisi familiaritas et necessitudo excuset, assurge.

5. Cubiculum superioris, si quando inibi est, capite cooperto ne intres; majorem te adeundo, ubi ubi sit, pileum tibi eximes; id quoque, dum pertransit, præstabis, sed etiam interjecto spatio, pro ratione dignitatis.

6. Nemini te honestiori quovis modo innues ut tegat caput, nec ipse teges nisi invitatus, idque cum alter se cooperuerit. Semel atque iterum invitatus ad te-

gendum caput, pugnaciter non resistes, nisi forte prima et secunda vice, qua hominem altioris fortunæ invisis, ut tertio inculcet, expectandum putas.

7. Inter æquales, post salutationem multo honorificam, et compellationem ad tegendum caput, cuivis jus est sese obtengendi : at loci ambire principatum, aut pertinaciter detrectare oblatum, utrobius peccatur. Unusquisque in sua domo debet æquali potiora cedere.

8. Neminem coram te, aperto diu capite, patieris, nisi illi dignitate longe antecellas ; neque etiam pluries, quam semel atque iterum, primas minori deferes, quas sine aliqua inurbanitatis nota nequit acceptare.

9. Cum aliquis prætertransit altioris meriti et prærogativæ, stare te addebet, imo et regredi, præcipue ad januarum introitum, aut ad locorum angustias, ut ipsi congruum spatum relinquas ; in ascensu vero et descensu, qui ad murum

locus est, ut pote facilior et commodior, relinquendus.

10. Si quis honoratior te supervenit dicturus aliquid ei quocum sermonem misces, digredi occipe, nisi te remanere velit. Par etiam ratio, dum cujuspiam cubiculum intras quem aves alloqui, si eum cum æquali fabulantem invenis, multo magis si cum superiore. Idem quoque tibi observandum invenienti superiorem in loco quem subis, si nihil tibi cum illo.

11. Superiore vel exornatiore locum, in quo tu es, subeunte, sta corpore in pedes arrecto et capite detecto, usque dum sederit et caput sibi contexerit : idem erit corporis habitus, atque eadem honoris significatio, dum ipse egredietur et penitus abscedet ; interim autem superseedendum et actione et confabulatione.

12. Ad cubiculorum januas, parcente velut manu et marculo clementer recessili pulsabis, interjecto, antequam iterum et tertio pulsas, congruo temporis

spatio ; et hoc dispensatur habita personarum ratione.

13. In cubiculum, reductis proterviis et cum fragore januis, maxime si homines altioris dignitatis inibi sint, ne irrumpas. Eadem cautio sit tibi in egressu, dum occludis fores.

14. Si præstantioris fortunæ vir assidere te sibi jubet, sedile, quod est præsto, captabis humilius ; nihilominus oblatam sedem contumaciter deprecari, illiberale et importunum est.

15. Cum honestiores alloqueris, corpus tibi ne adminicules, nec ad ipsos proprius accedas; sed unius circiter gradus spatium interpone.

16. Nemini te ipso præexcellentiori diccas: Ut te habes ? nisi morbo distineatur.

17. Medicinæ ignarus, ne præscribas ægris remedia, quos invisis. Ne arteriam digitis explores, nisi jus in illos obtineas; sed id neque quam usurpabis erga personas verecundioris sexus.

18. Sive das aliquid, sive recipis,  
manum osculo prælibabis (\*), etiam inter  
compares.

19. Neminem toga vel pallio laces-  
ses, quem cupis alloqui; nec etiam quem-  
quam honoratiorem verbis aut signo  
advocabis, sed ad hunc te conferes; nec  
eum, de quo fit sermo, digito designabis.

20. Manuscripta, libros, aut alia id  
genus, absque domini consensu, nec  
inspicies, nec cūriosius attrectabis; ne-  
que etiam ea, quæ a quoquam leguntur,  
furtivis oculis occupanda.

21. Quoad poteris, neque dormitabis,  
aliis loquentibus; neque sedebis, stanti-  
bus; neque ambulabis, consistentibus; ne-  
que pulicem aut aliud putidum insecti  
genus conficies.

22. Etiam inter æquales dorsum foco  
non obvertes, ligna absque necessitate  
non compulsabis, non proprius accedes,

---

(\*) Mos iste jamdiu obsolevit.

sed locum facies adventantibus. Calceos aut crepidas, ad calefaciendum pedes, sibi eximere, idque coram superioribus et honoratioribus, vetant omnino leges decori.

23. Non sternutabis, non screabis sub aspectum aliorum, sed te ipsum subduces. Non missilem screatum explodes, neque inspues muros, neque de fenestra in subjectam viam sputabis; sputum si viscidum, pede opprimes (\*). Quem alloqueris, cave ne forte divaricantis salivæ aspergine dehonestes; quapropter spatio distabis legitimo.

24. Ab oscitatione, quoad poteris, abstineto, maxime in congressu et confabulatione : quod si ineluctabilis est, absque sonitu et absque loquela, manu ori præpansa vel sudario, tantisper aversum oscitare par est.

---

(\*) Spuum, coram aliis, in terram mittere vetat omnino lex decori; sudario, domi saltem, utendum est.

25. Pluribus ad deliberandum congregatis, præsente superiore qui aliorum captat voces et suffragia, unusquisque, quoties sententiam rogatur, toties caput discooperire debet, aut etiam dum, præfatus veniam, proponit aliquid cœtui. Attamen, si moderator exedræ prius invitaverit ad cooperendum, tunc licebit obtecto capite loqui.

26. In conventu et congressione multorum, manum protendere transversim, et sub os superioris aut honoratioris, ut quidpiam alteri des, vel ab eo accipias, est perquam invenustum. Sed ratio humanitatis exigit, ut illud pone et a tergo ipsorum tradas aut capias. Cum autem ab una parte ad aliam migrare cupis, cave ne eorum prospectui obstruas quibus observantiam debes, nisi necessitas excusat, idque impetrata licentia.

27. Cum aliquos invisits, præsertim aegrotos, aut quibus tempus pretiosius est, quales sunt viri aut pietatis officiis,

aut studio addicti, aut aliis occupationibus districti, ne longus esto : quapropter, cum eos alloqueris, officiosas verborum blanditias usurpari solitas supprime, vel, quantum fieri potest, præcide et castiga, tuamque de ipsis honorificam existimationem signis potius exterioribus, quam inani verborum profluentia, contestare.

28. Supersede affectatis et interpositis officiorum deliciis, quas consectetur nonnulli, qui ad singula quæque verba honoris debitam sibi pensitationem studiose propulsant, quique crebriores tenuitatis suæ excusationes et languidas fucatæ cujusdam modestiæ præfationes suis interserunt sermonibus. Pari studio illiberalem prorsus et sordidam adulatorum hominum facilitatem devitabis, qui in rem suam omnes ex æquo probant affectus, omnesque cum bonas tum malas eorum dilaudant actiones, quibus placere gestiunt. Quod autem spectat ad necessarias justasque honoris et urbanitatis si-

gnificationes, rem totam ex usu apud sapientes recepto, ex more patrio, tempore, ætate, hominumque conditione definire poteris, vitato non minus excessu quam defectu.

---

---

## CAPUT IV

### DE COLLOQUIIS ET SERMOCINATIONIBUS.

1. Operam dabis sedulam, ut conversatio sit modesta et verecunda, non austera aut præpedita; ut sit libera et jucunda, non futilis aut dissoluta; ut sit suavis et urbana, non affectata aut putide blanda; ut sit explicata et effusa, non tamen inconsiderata et insulsa; denique ut sit utilis, accommodata et grata iis quibuscum sermonem conferes.

2. Voce utendum neque tardiori neque volubiliori, sed castigata: ne sit asperior, ne sit fractior, neque etiam elatior atque contentior, quam necessitas postulat; sed neque depressior, et obscurior quam par auribus.

3. Abstinendum a vocibus plebeium quid et trivium sonantibus, multo magis a verbis petulantioribus aut æqui-

vocis, nescio quid minus castum innuentibus.

4. In dictis salibusque ad relaxandum animum natis, temperamentum adhibebis, ne in aliquorum dissolutos mores diffluas, qui nihil sobrii hominis et serii in consuetudinem quotidianam afferunt, qui que, tanquam moriones, nugis suis et stultiloquio, verbis incompositis, actionibus ridiculis plane et invenustis alios exhilarant, aut, quod criminosius, res sanctas et proximi defectus traducunt atque subsannant.

5. Si ridendi causa defuerit, ridere cato ; si qua dabitur, sonore et indecenter ne rideas.

6. Ambitiosior verborum circumductio, acute dicta per vim expressa, et longius accersiti sales, ac omnis ostentatio a familiari hominum congressu et consuetudine est ableganda.

7. Neminem aculeatis, despoticis aut fastidiosis vocibus percellas ; sed verbis sem-

per utere observantiam et reverentiam indicantibus, erga eos potissimum qui aliqua præfulgent dignitate : imo, et coram illis, ob majorem reverentiam, abstinere debes a dictis factisque iracundiam spiringibus, etiam in eos qui tibi subjacent.

8. Viro colloquens spectato et gravi, hasce compellationes honorificas usurpabis : *Domine, Monseigneur, illustrissime Domine, Domina*, et cætera hujusmodi, pro dignitate cujusquam, post has nimirum voces, *tu, ita, non* ; v. g.: *Tu ipse es, Domine* ; *Oro te, illustrissime Domine* ; *Ita est, Domine*, etc. Adhibenda tamen cautio, ne hæc compellationes sua crebritate iis, quibuscum agimus, odiosæ et onerosæ sint : nunquam autem post hæc verba, cognomen subjunges hujus ad quem loqueris ; v. g. *Domine Semproni*, sed tantum, *Domine*.

9. Hasce dicendi formulas, neque viva voce, neque picta, nisi forte cum inferio-

ribus, usurpabis : *Allubescet tibi hoc dicere ; Facies, si gratum fuerit ; Ibis, si placet ; Gratum sit ut faciam ; Animo hoc repones tuo* ; et id genus alia, quæ specimen alicujus auctoritatis habent ; sed verba assumes idem liberaliori et honestiori modo significantia ; v. g. *Etiam atque etiam oro, ut hanc mihi gratiam imperias*; vel, *ut gratum et acceptabile sit*, etc.; *An tibi collibitum, an animo gratum ? Hancne gratiam, Domine, velles imperiri ?* etc.; *Si non intempestivum judicares, aut, Si colliberet*, etc.; *Expediat necne, Domine, judicium tuum esto*; *Prudentiae tuæ rem permitto*, etc. Vitabis quoque hoc dicensi genus : *Mens intelligis ? Capis quæ dico ? Tu me fefellisti; promissis non stetisti*, etc. Substitues autem, præsertim dum virum alloqueris meritis gravem : *Satin explico meam mentem, Domine ?* vel : *Nescio an conceptum belle exprimam*; *Forsan non satis mentem aperio*; *Quæ mihi pollicitus eras, exciderunt animo*; vel : *Quorum mi-*

*hi spem feceras, ea fortassis exsequi non potuisti, etc.*

10. De se vix loqui et nihil ad existimationem hominum, et, cum exigit necessitas, paucis, modeste, absque aliorum respectu, et sui ipsius præ cæteris commendatione, decoro maxime consentaneum.

11. Alienæ a tempore, a loco, a personis, nimirum tetrica in confabulationibus, abjecta et inania cum sapientibus et eruditis, subtilia et sublimia coram simplicibus et indoctis, effundere, absurdum est et prorsus insulsum. Sed vide ne unquam odiosa rerum commentitiarum, aut etiam somniorum narratione, auditores inaniter distineas.

12. Cum viros alloqueris vel auctoritate vel perspicacitate pollentes, expedi paucis. Agens de negotiis, ne totus sis in proœmiis et deprecationibus, sed ad rem confessim veni, si suaviter hoc fieri potest. In contextu sermonis nec digrediaris

crebrius, nec dicta jam importune re-petas.

13. Priva et domestica ne enarres, nisi intimæ admissionis hominibus, aut iis a quibus vel consilium vel subsidium speras. Quidquid adduces in medium, sive negotium sive historia sit, paucis per-stringe, præsertim dum res tenuior et protritior, aut si insuavem advertis et auditoribus injucundam. Cum autem aliquid narras, cave ne putida compellatione, *Numquid vera dico?* etc., adstantium approbationem petas, multo magis ne cubito impetas. Neminem rumusculi, nisi constet ipsi haud ingratum fore, allegabis auctorem.

14. In congressionibus et colloquiis, etiam inter æquales, de re in medium adducta sobrie et considerate disseras. Pertinax silentium et inconditam oris profluentiam devita. Occipientes loqune interPELLA, etiam si probe scias quid sint dicturi; at eos permitte rem ad fi-

nem deducere, eosque obaudias pacifice et composite, nullis avocamentis distractus, nec lectione, nec actione, nisi necessitas exigat, idque cum bona adstantium venia, si aliis non præemines.

15. Multis in unum congregatis, nisi sis omnium spectatissimus, vel id expedire liquido constet, sententiam tuam de re proposita, nisi rogatus, ne interponas; cum autem opinionem tuam affers, ne longis involve ambagibus, sed ad rem et ad quæsitum recta veni.

16. Opinionis aliorum levi de causa ne relucteris, tuam acrius et pertinacius ne propugnes; in rebus autem problematicis dissentientes ne condemna.

17. Nihil dicas, nisi re antea tecum perpensa et bene congesta; alteri ne respondeas, nisi finem dicendi fecerit; verba ne suppedites cuiquam, quamvis ægre et cunctanter loquatur, nisi forsitan ipse velit, aut cum intimo et familiari tuo privatim confabuleris.

18. Interveniens colloquiis, cave scisciteris de quo sit sermo, nisi aliqua auctoritate et prærogativa polleas. Quod si sermocinatione supersedissent tui causa, scite et comiter postulabis, ut incœptum sermonem pertexant; verum qui occipit loqui, debet in pauca conferre sermonem, si qui adventat peculiaris sit meriti et dignationis.

19. Quæ nihil ad te, ne curiosius explores; rūmusculos et dissipatos hominum sermones ne colligas, ut temere in medium adducas; de futuris et dubii eventus, quæ nulla conjectatione assequi potes, maxime de his, quæ silentio premi par est, ne colloquaris.

20. Naturæ corporis defectus in aliis tibi odio esse nullatenus commonstres, neque etiam curiosius inspectes, aut de his moveas sermonem absque necessitate, multo minus joculari imitatione, aut exprobatione, aut aliter, traducas.

21. Admonitiones et reprehensiones

animo et comi et grato semper admittas si quid in te peccatur irreverentiae, prudenter et cordate dissimula, sed ne usurpes auctoritatem admonendi, carpendi et suggillandi eos qui tuæ disciplinæ non subjacent ; nisi christiana charitas exigat, idque adhibito prudentiæ condimento.

22. Qui, quod in se est, fecit, etiam si res spem fefellerit, eum ne vituperes. Neminem iratus aut tono vocis perturbationem sonante carpas ; verum adsit moderatio, placiditas et prudentia.

23. In consortio plurium, nemini quidpiam instilles in aurem sive insurres ; quod si necessum sit, subduc paululum et segrega quem aves alloqui, petita prius venia ab aliis, aut ab eo qui forte cœtui præsidet, ac paucis rem expedi.

24. Pluribus in unum conciliatis, si quis dignitate præfulget, ad hunc omnes sermonem dirigere par est; nunquam

vero licet cum quodam privatim et ar-  
cano colloqui, ipso præsente; quod si  
voce submissa alteri aliquid insinuet,  
omnino convenit ut alii non obau-  
diant.

---

---

## CAPUT V

### DE DECORO IN MENSA.

1. In epulari accubitione, brachio vel manibus inniti mensæ, est apprime inventum; itidem cubito assidentes compulsare; neque minus contra decori leges, resolute et inertis corporis habitu, et molli quadam supinitate in suo sedili deliciari, cutem scalpere, pedes agitare, aut caput absque necessitate huc et illuc convertere.

2. Tussire, sputare, emungere, absque ulla necessitate, res est odiosa et summe fastidiosa; quod si fieri aliter nequit, mantelum ori opponendum, præsertim dum mungendi necessitas invadit, vultusque paululum subducendus in eam partem quæ vacat; providendum autem ut quam minimo id fiat strepitu, maxime inter

prandendum, aut a mensa dum surgitur.

3. Mantile explicare, manum exerere in appositas dapes, antequam præexcellenter incœptaverit, ab epulari decoro remotissimum est.

4. Oculos curiosius quoquo versum agere, aut in convescentes aut in alimento defigere, hominis est et gulosi et plane inurbani.

5. Ubi id moris receptum est inter vescendum confabulari, cave ne malis fartim eminulis alloquaris, neve inani verborum profluentia labores; parce, circumspecte, sobrie loquere; sed in primis attende, ne coram convescentibus, in quemquam, etiam domesticorum, ullum excandescen-  
tiæ motum expromas.

6. In aliena mensa chironomi aut structoris munus ne usurpes, aliisque cibos dividias, nisi tu auctoritate præpolleas, aut dominus, qui te exceptit, ad illud invitet, aut inter admodum familiares convescaris.

7. Ne edas præfestine; bucceam, altera nondum trajecta, ne superingeras, neque tam grandem, ut os indecore oppleat, immittas.

8. Ne in alimentum, arcuato velut corpore, propendeas, sed tantillum conquisisce, dum liquida ad os defers, et statim redi; at discave ne te ipsum, defluente succo, vel mappam conspurces.

9. Animum suum in cupedias et in escas elegantioris salivæ dicto factove ostendere, opimiora et lautiora curiosius carpere, manum in fercula remotiora protendere, de cibis sermonem impensius habere, dyscolum sese præbere, et alia id genus peccare, ligurientis est et avide catillantis.

10. Admota ad os scutella, jus herbis et pane maceratum sorbere subrusticum est; cochleari non omnino oppleto utaris, fundum scutellæ illiberali sonitu ne corradas.

11. Cibum in os ingerere altera manu,

et fere semper dextra, lex est decori ; at comite cultro, et putidum et agreste.

12. Ossa ne suctim emedulles, ne ad os admoveas et applices, ut circuminductam carnem arrodas ; sed cultro exime, super quadram repone, et, si furcilla adest, utere ; si non est copia (\*), digitis carpe.

13. Inter mandendum et inter bibendum illætabilem strepitum ne excita, neque statim ac bibisti, quasi oppresso spiritu, animam resorbe ; ossa, aut si quid in fructibus duratum, ne cultro aut dentibus comminue.

14. Carnes manu attrectare, dum fuscinulæ copia, inurbanum ; digitis vero adipe perunctis capere, invenustius ; eos avido linctu, præsertim sonoro, quasi ligurire illiberalissimum. Ergo mantili de-

---

(\*) Memento Auctorem scripsisse seculo decimo septimo, quo tempore furcillarum usus nondum erat omnino vulgaris.

tergebis, et, si opus est, turundulæ panis africabis, itaque delibutam comedes.

15. Ne perfla cibos nec juscula, ut defrigescant; panem aut aliud quid præmorsum in catinum ne intingas, diversæ rationis fercula ne commisceas aut absurdæ decapulatione confundas, nihil prægustatum aliis offeras.

16. Rejectamenta, ossa, insipidas cartilaginiæ, spinas piscium, cortices et putamina fructuum, item ossicula durata, ab ore manu quidem excipies, et ad oram quadræ repones; quæ autem commansitata transglutire nequis, subducto parum vultu, carpes manu, et in terram, servato decoro, absque ulla nausea, abjicies; si fluida sunt, despues (\*).

17. Integræ et solidam panis molem,

---

(\*) Illud summopere vitandum est, etiam cum aliquo palati detrimento; at, si urgeat necessitas, hujusmodi rejectamenta ad oram quadræ, cautim et quasi furtiva manu, occultanda sunt.

aut ad dimidias sectam butyro ne inducas, sed lamellam aut frustum congrue succisum obline. Panem super mappam aut quadram incidere est invenustum. Crustam absque sua medulla edere, non est hominis liberaliter instituti.

18. Patinas in subjectum cochlear, ad aliquandum embamma, invertere decoro perquam repugnat; at catinos panis turrunda detergere, perediam sapit; residuum quid esto.

19. Ne pocillatori innuas ut tibi misceat, antequam spectatissimus convivarum poscerit. Dum autem assides inter disparis dignitatis viros, conversus ad minus spectabilem, quod tibi porrigitur, accipe. Scyphum ne ita impleas, ut exuberet, neque largius infundi sinas quam uno haustu exsiccare possis, nisi mos sit receptus cyathum cum residuo juxta se reponere. Buccella nondum trajecta, nec oculis alio defixis, bibe. Labra ante et post detergito.

20. Fac ipse finem manducandi, cum alii fecerint; imo præverte, si honoratiores multo sint.

21. Sudorem vultus, proluviem nasi ne abstergeas; dentes ne scalpas; os ne colluas in mensa, neque ipsa solutus, propalam.

22. Accumbens cum magnatibus, neque pallium (\*) abjicies; neque pileo caput operies; neque philotesio (\*\*) craterem propinabis, vel ipsis, vel cuiquam, quamvis honori-fice provocatus; cum manum a patina nondum reduxerunt, cave ne tu immittas; cum aliquid obsonii tibi impartiunt, aut

---

(\*) Pallii nomine intellige mantellum illud talare quo etiamnum, decori gratia, uti solent viri ecclesiastici bene instituti, quoties foris prodeunt, aut saltem quando magnates invisunt. Hoc igitur mantellum servabis; penulam vero, aliaque id genus vestimenta, priusquam ad mensam accedas, depones.

(\*\*) Philotesio craterem propinare idem est ac alicui salutaria bibere, quod ex Anglis Galli dicunt : *porter un toast*.

singulari aliqua observantia et comitate dignantur, gratum animum voce vel nutu ad obsequium composito testaberis. Tandem ratio decori obtinet, ut ante non surgas quam e mensa digrediantur.

---

---

## CAPUT VI

### DE RATIONE CONSCRIBENDI EPISTOLAS.

1. Cum ad spectatores scribis, inter ipsam honorificam salutationem et epistolæ initium, tantum spatii et intactæ papyri relinque, quantum eorum dignitas et gradus exposcit. V. g., si tenuioris status fueris et fortunæ, scribens ad Episcopum, aut ad optimatem, vel ad dominam præexcellenter dignitatis, paginam ab hisce vocibus *Domine, Monseigneur, Illustrissime Domine, Domina, etc.* usque ad primum epistolæ versum, sines ad dimidias vacuam, idque plus minusve pro dignitate personarum ad quas scribis, et quatenus te antecellunt. Quod si meritum ac dignitas haud tibi perspecta sit, satius est plus quam minus intervalli relinquere, quandoquidem redundantior officii significatio vix quemquam offendit ; at honoris et

observantiæ defectus ut plurimum exulcerat. Scribens ad homines mediocris quidem fortunæ, alicujus tamen dignationis, tantum spatii sines a scripto immunis, quantum duo vel tres digiti transversim positi occuparent : inter æquales autem et valde familiares, paulo minus intervalli.

2. Quantum fieri potest, primam epistolæ periodum ne ab eodem, quo personæ, ad quam scribis, dignitatem indicasti, vocabulo incipias : exemplum esto ; post hæc verba, *Domine, Domina*, ne immediate et nullo intervallo addas, v. g., *Dominus Sempronius*, vel *Domina Sempronia me invisit*, etc.

3. *Has ad te scribo; Quas ad me scripsisti, nuper accepi; Tuas ego recepi*, et alia id genus, aures quidem latinæ ferunt, at non gallicæ. Dicendum autem : *Has ad te litteras scribo; Hoc ad te scribo; Tuas accepi litteras*. Si vero scribis ad hominem alicujus meriti, hac honoris præfatiuncula

ant circumductione uteris : *Epistolam accepi, qua me dignatus es, vel qua me cohonestasti.*

4. Cum homines exquisitioris notæ et sublimioris dignitatis, sive picta, sive viva voce alloqueris, *tu* (quod nos Galli per *vos* efferimus) transfigurabis in epithetum dignitatis : v. g. quando dirigitur ad Summum Pontificem, vertes in substantivum, *Vestra Sanctitas*; ad purpuratos Romæ Proceres sive Cardinales, *Vestra Eminentia*; ad Archiepiscopum et Episcopum, *Vestra Amplitudo*; ad Ascetas, seu, ut aiunt, Religiosos, *Vestra Reverentia*; ad Reges et Reginas, *Vestra Majestas*; ad Principes, *Vestra Celsitudo*; ad Principes vero filios Regum, *Vestra Celsitudo Regia*; ad Legatos, etc., *Vestra Excellentia*. Porro, ut hæc importuna et frequentior titulorum repetitio aliquo novitatis aucupio temperetur, inserendum est ipsis pronomen *tu*, quod Galli efferunt per *vos*, idque alternis.

5. In epistolis quæ scribuntur ad personas aut dignitate commendabiles, aut aliqua existimatione florentes, hæ voces identidem adhibendæ: *Illusterrissime Domine*, aut *Domine*, vel *Domina*, vel *Domicella* (si tamen hoc verbum patitur latini sermonis castimonia), idque habita ratione dignitatis; at non sæpius quam par est, neque promiscue aut temere. Hæ cautiones sunt: 1º In una eademque periodo, quantumvis protensa, ne iterentur. 2º Nullibi inserantur, unde, ex præcurrentibus et subsequentibus vocabulis, amphibologia nasci possit; v. g. *Famulus est, Domine, multum fidelis.* 3º Neque statim post has voces, *Vestra Amplitudo, Vestra Excellentia, Vestra Celsitudo*, et cætera id genus (quanquam possunt ante) subjungantur.

6. Usurpandæ sunt maxime post illud pronomen, *Tu*, seu, *Vos*; v. g. *Tu, Domine, rem digessisti*, etc. Collocari etiam commode possunt post has voces incœp-

tivas, *nam, sed, celerum, denique, certe,*  
*haud dubie, quapropter,* etc. Vitanda ta-  
men crebritas tum in epistolis tum in  
quotidiano sermone.

7. In dandis epistolis redditarum men-  
tio semper facienda est, imo et singu-  
larum dies attexenda, nisi forte ex res-  
ponsione ad quosque apices et articulos,  
satis superque innotescat nos eas recepissemus.

8. Cum quispiam æqualis, multo ma-  
gis cum superior per epistolam dissentia-  
nei argumenti plura nobis expedienda  
commisit, officii lex et ratio depositit,  
ut ad singula rerum capita accurate, præ-  
cise et articulatim respondeamus; nos  
videlicet esse facturos, ut provincia quæ  
nobis demandata est ex voto expediatur,  
vel, si jam obierimus, par est id signi-  
ficare. Quod si aliquid quod in nobis  
recepferamus, propter ineluctabilem dif-  
ficultatem, infectum sit, muneris nostri  
pars est id proponere, quo resciscamus  
ab illo rationes et media rem dextre

capessendi, obicesque tollendi, aut quid in illo rerum cardine sit agendum.

9. Diem, quo quid factum est vel fieri debuit, exprimere et assignare dum cupis, cave ne, nominato hebdomadis die, id facias in hunc modum : *Sabbato*, *vel secunda feria res perficietur*, etc. Enimvero hisce vagis et indiscretis vocibus non liquido constat ei ad quem scribis, quis sit hic dies, nisi ad ephemeridas, quod esset onerosum, recurrat; sed dies mensis numero designandus. Exemplum esto : *Decimo quinto*, aut *vigesimo die instantis mensis fiet*, vel *factum est*. Licet etiam in hunc modum : *Heri*, *nudiustertius*, etc., *in crastinum diem*, *in comperendinum*, *post quartum diem*, etc. Enimvero si epocha aut dies mensis ad epistolam accurate appositus erit, quotus dies indicetur, facile et primum erit colligere. Nihilominus fallit regula, et non habet locum in epistolis, quas scribimus ad aliquem tam parvo a nobis distantem inter-

vallo, ut ipsomet die aut sequenti reddi possint.

10. Scribendi caracter sit simplex, mundus, inaffектatus, et quotidiano sermoni proximus : studendum ergo ut stylus sit pressus, limpidus, ac de facili et suggestente genio profluens, intra tamen et prudentiæ et observantiæ fines, rebusque sit conveniens. In miscellanea epistola non est opus singula quæque suis momentis et articulis connectere, sic enim in immensum cresceret; sed pro rerum capitibus et argumenti varietate ad lineam recurrentum.

11. Peccatum est in rationem decori et observantiæ, alios per eminentiorem salutare, aut ipsis aliquid munii injungere. Cum autem scribimus ad æquales, vel non multo præstantiores, ea quidem libertate uti possumus, sed verecunda : v. g., *Æqui bonique consules, si hic ego Lentulum tuo adminiculo salutem*; aut : *Etiam atque etiam rogo, ut Lentulum de*

*mea in ipsum inviolabili observantia certum facias*, etc., dummodo is, quem hujusmodi salutationibus compellamus, nobis non sit longe honoratior; alioquin illa per alios salutandi libertas præcidenda.

**12.** Solemnis est epistolarum clausula per aliquam honorificentiæ significatiōnem ; sed nonnulla hic observanda veniunt : 1° Ne genitivo aut dativo casu terminetur ; itidem ne hac voce *per*; v.g. : *Ut gloriosum titulum obtineam tui, Domine, obsequentissimi servi*, etc. (hæc autem dico gallicæ linguae obsecundans, non latinæ). *Nullum est officii genus, quod tibi non sit præstandum per tuum, Domine, servum*, etc. *Spero fore ut hanc gratiam non recuses tuo, Domine, servo,* etc. 2° Rectum et accusandi casum clausulis accommodatores, v. g. : *Tuus sum, tuus, quoad vivam, Domine, servus*, etc. *Hanc mecum, quæ tua est humanitas, gratiam ineas, ut me reputes tuum, Domine, servum*, etc.

13. Subscriptiones et honorificæ significationes, habita ratione personarum, ad quas scribis, sunt variandæ : v. g. subditus ad Regem scribens ita subscribet : *Rex*, vel (ad Regem Galliæ), *Rex Christianissime, Vestræ Majestati humillimus, obsequentissimus ac fidelissimus servus et subditus.* At filius ad patrem, nepos ad patruum sic subscribet : *Domine, honorificentissime Pater, aut Patrue, tuus humillimus et obsequentissimus filius, aut nepos ; frater ad fratrem, aut consobrinus ad consobrinum sic concludet : Tibi humillimus servus, et amantissimus frater, aut consobrinus.* Si vero paris ad parem sermo, cum quo maxima intercedat familiaritas, in hunc modum : *Tibi humillimus servus.* Quod si persona, ad quam scribis, haud ita familiaris, vel sit alicujus dignationis : *Ego sum humillimus et obquentissimus servus.* At scribens ad hominem altioris dignitatis, ita claudet : *Tuus humillimus et obsequen-*

*tissimus servus.* Et sic a fortiori dum scribit inferior ad superiorem et eminentiorem.

14. Quod autem spectat ad congruentem et concinnam harum vocum posituram, usus obtinuit ut hoc vocabulum, *Domine*, ad sinistrum epistolæ latus colloetur; magisque distet ab ultima linea, quam ab extremitate chartæ; et quanto clarior et spectatior persona cui scribitur, tanto inferius honorifica compellatio relegetur. Tum ad latus dextrum obsequiosæ voces: *Humillimus servus*, etc. inferius subscribuntur tantoque major observantiae demonstratio, quanto in ipso oræ confinio et conterminio ponuntur.

15. Assignandus dies, annus et locus unde scribitur: v. g. *Parisiis xij kalendas aprilis anno MDCLXV.* Sunt qui diem in sinistra parte ad calcem epistolæ apponunt; aliis convenientior est locus in fronte prioris paginæ: verum hæc ad usum, qui jam apud Gallos obtinet; nam

alii sunt canones latinæ humanitatis.

16. *Epistolæ, quæ scribuntur ad magnates, ut plurimum complicantur in modum fasciculi quadrati aut paulo secus : itaque epistolam complicatam, non obsignatam, et absque sua epigraphe, superinduces (\*) charta concinne, quam postea in modum fasciculi epistolaris obsignabis; in eo autem integumento appones epigraphen, ac omnino infra ad dextrum angulum indicinam loci. Porro, quanto inferius superscriptionis reliqua pars apponitur, tanto contestatior honoris significatio.*

17. *Repugnat honesto et decoro quidquam scribere in charta involucri vicaria, sive ad spectatos scribas, sive ad medioximos, sive ad quosque. Etenim, cum resigntantur epistolares fasciculi, involucrum*

---

(\*) Ea Auctoris præceptione constat epistolare [involucrum, seculo decimo septimo, haud quidem jam vulgare, aliquo tamen usu receptum fuisse.

non introspectum plerumque vel dilaceratur, vel in ignem mittitur. Si autem non nihil extra litteras inclusas et sub ipso integumento delitescentes vis scribere, repones in schediolo quidem separato, quod eodem epistolari fasciculo concludes.

Atque hæc de scito et christiano inter homines decoro breviter dicta sint ; quæ si observentur, quantumvis minutæ et exiles præceptiunculæ videantur, in omnia vitæ genera, officia, statusque copiosissimo, eoque suavissimo, fructu redundabunt.

---

## INDEX

---

Præfatio editoris.....	4
Vita auctoris.....	8
CAP. I. — De honesta et scita corporis compositione et modera- tione. ....	17
CAP. II. — De incessu. ....	91
CAP. III. — De quibusdam actionibus et officiis inter homines. . .	25
CAP. IV. — De colloquiis et sermoci- nationibus. ....	35
CAP. V. — De decoro in mensa. . .	45
CAP. VI. — De ratione conscribendi epi- stolas. ....	53

---